

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4364

Auteur(s) : Avranches (official)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1292, 26 mars

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

L'official d'Avranches vidime la charte du doyen de Genêts concernant la provision faite au clerc Nicolas Cophin.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXLIX, p. 135-136.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris officialis Abrincensis, subdelegatus a reverendo patre ac domino R. Dei gracia Abrincensi episcopo, iudice a domino papa dato super provisione facienda Nicholao Cophin, clerico, de beneficio ecclesiastico ad collationem seu presentationem virorum religiosorum abbatis et conventus Sancte Trinitatis de Lucerna spectante, salutem in Domino. Noveritis nos litteras decani de Genes, commissarii nostri, vidisse, inspexisse ac eciam recepissee eis que fidem adhibuisse, formam que sequitur continentes.

Viro venerabili et discreto domino officiali Abrincensi, subdelagato a reverendo patre ac domino R. Dei gracia Abrincensi episcopo, iudice a domino papa dato super provisione facienda Nicholao Cophin, clerico, de beneficio ecclesiastico ad collationem seu presentationem virorum religiosorum abbatis et conventus Sancte Trinitatis de Lucerna spectante, decanus de Genez salutem in Domino. Noveritis me, secundum formam et tenorem mandati vestri, personaliter accessisse, hac die mercurii post Resurrectionem Domini, ad ecclesiam de Angeio, liberam et vaccantem, quo ad presens, per mortem Nicholai dicti La Miche, quondam rectoris ejusdem, et, prout melius potui, dicta die per plures fide dignos parrochianos dicte ecclesie inquisivi, sub prestitis ab eisdem juramentis, ad quem seu ad quos jus patronatus ipsius ecclesie pertinebat seu pertinere debebat. Qui quidem jurati responderunt una voce, non discordes, quod ipsi credebant pro certo dictum jus patronatus predicte ecclesie ad viros religiosos abbatem et conventum Sancte Trinitatis de Lucerna pertinere, tam de consuetudine quam de jure ; asserentes eciam, ad confirmationem et probationem sui testimonii, quod ipsi qui loquuntur viderunt et audierunt dictum Nicolaum La Miche et Petrum dictum Le Mignot et Robertum dictum de Anjou, predecessores ipsius Nicholai, admissos fuisse ad regimen ecclesie de Angeio supradicte ad presentationem predictorum religiosorum abbatis et conventus de Lucerna ; asserentes etiam quod nullum alium sciunt nec audierunt qui jus aliquod habeat vel dicat se habere in dicto jure patronatus, exceptis religiosis supradictis. Hanc autem inquisitionem feci dicta die mercurii presente domino abbate de Lucerna et quibusdam de concanonicis suis et dicto Cophin, quibus assignavi diem veneris post Quasimodo coram vobis Abrincis ad procedendum super premissis ut jus erit. Datum anno Domini M CC nonagesimo secundo, die mercurii predicta.

Quod omnibus quorum interest tenore presencium, sigillo Curie Abrincensis sigillatarum, significamus.

ROG. XII D.